

irrationabilem facit. Si autem aliquo tempore ex nova causa rationalis reddatur, vires resumere potest ad legem humanam abrogandam, non obstante clausula reprobante quamcumque consuetudinem.

373. Tertius effectus consuetudinis iuxta legem est illam interpretari, dum fuerit dubia circa obligationem, materiam, aut personas: ideo dicitur in cap. Cum dilectus, de consuet. Consuetudo est optima legum interpret. Interpretatio potest esse duplex, nempe, *authentica*, & *doctrinalis*. *Authentica*, que solum a Legislatore fieri potest, est nova lex, que proinde habere debet omnes conditiones, que ad veram legem requiruntur.

374. *Doctrinalis*, quam etiam facere potest consuetudo est, que fit a Doctoribus, & non habet vim legis: est tamen tantæ efficacis interpretatio per co-

nsuetudinem facta, ut iuxta communem sententiam verba legis interpretari debeant secundum loci consuetudinem, quamvis oporteat textum legis minus proprie exponere. Nota, quod sicut consuetudo potest legem interpretari, sic lex certa potest consuetudinem dubiam exponere: quia una lex dubia potest per aliam certam interpretari.

375. Inq. 2. Quot modis cesset consuetudo? R. cessat eisdem modis, ac lex: quia est quedam lex: præcipue vero cessare potest per novam legem eam abrogantem, & per consuetudinem eam contrariam. Taliter quod per universalem universalis, & per particularem particularis abrogatur. Numquam tamen per non usum mere negativum: quia consuetudo priori contraria debet introduci per actus positivos, aut per transgressiones, vel omissiones publicas deliberate appositas.

## TRACTATUS QUARTUS

### DE VIRTUTIBUS.

Cum proprium sit legis præcipere actus virtutum, sicut & vitia, peccataque prohibere; ideo habita notitia legum, agere de virtutibus consentaneum ducimus, deinde de vitiis, & peccatis acturi cum D. Thom. 1. 2. q. 55. &c.

#### CAPUT I.

##### De virtutibus in communi.

#### PUNCTUM I.

##### Nomen, & notio virtutis.

1. Inq. 1. Unde dicatur virtus? R. nomen virtutis derivari a *viro*, quia in viro est major vis, & fortitudo, quam in foemina. Hoc autem nomen diversimode usurpatur, tum pro robore, aut vi corporali, tum pro potentiis animæ, vel qualibet potentia operativa, vel pro ultimo de potentia, vel etiam pro ipsa operatione, seu effectu præcipue insolito. Unde Marci 6. v. 5. dicitur de Christo: *Non poterat ibi virtutem ullam fa-*

*cere*. Verum proprie accipitur virtus pro quadam facultate potentias perficiente, qua earum operationes redduntur rectæ, & bonæ: & de hac agimus in præsentibus cum D. Thom. 1. 2. q. 55. & seq.

2. Inq. 2. Quid sit virtus? R. Virtus naturalis est *habitus electivus in mediocritate consistens*. Virtus autem, ut comprehendit naturalem, & infusam est *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur, & quam Deus in nobis sine nobis operatur*. Dicitur *bona qualitas, seu habitus*: quia non est relatio, ut aliqui putarunt, sed ex genere qualitatibus perfectivæ subjecti: dicitur *mentis* ad innuendum subjectum, in quo recipitur: *qua recte vivitur*: virtus enim rectificat operationem; & *qua nullus male utitur*: in quo distinguitur virtus ab opinione, & fide humana, que possunt inclinare ad falsum; virtus autem præcise terminatur ad rectum. Hinc eleemosyna facta ob vanam gloriam solum apparenter procedit a virtute misericordiæ. Ultimæ particulæ: *quam Deus in nobis sine nobis operatur*: tantum virtuti in-

fusæ conveniunt: quia a Deo potest infundi, etiã absque consensu nostro; licet ordinarie in adultis non infundatur, ipsis non consentientibus.

3. Inq. 3. Quod sit subjectum virtutis? R. est omnis potentia rationalis, sive que rationem participat: quia solum ista habet indifferentiam, ut possit a Superiori potentia per habitum disponi, & politice dirigi: ex quo exclusæ manent sensus, & membra externa, aliæque facultates, que determinatæ sunt ad unum a natura, & per dominium despoticum reguntur. Unde intellectus, voluntas, & appetitus sensitivus complectens irascibilem, & concupiscibilem sunt subjectum immediatum virtutis: quia virtus ibi recipi debet, ubi actus ejus completur; sed in dictis potentiis completur aliquis actus virtutis: ergo sunt subjectum immediatum, seu quo virtus. Minor patet inductive: nam in intellectu recipiuntur fides supernaturalis, & prudentia, cum eubulia, synesi, & gnomo. In voluntate caritas, spes, justitia, & aliæ virtutes, que eam rectificat ad alterum; nam ad attingendum bonum proprii suppositi nulla virtute naturali indiget voluntas. In concupiscibili recipitur temperantia cum suis speciebus: In irascibili fortitudo cum suis partibus integralibus.

4. Inq. 4. An eadem virtus possit recipi in duplici subjecto? R. nulla virtus specificè talis valet ex æquo, & principaliter recipi in duplici potentia; licet principaliter in una, & minus principaliter, seu participative in alia optime possit recipi: Ut si voluntati inest humilitatis virtus, nequit æque principaliter recipi in alia potentia. Prob. Virtus est in potentia animæ, sicut in subjecto; sed idem accidens non potest esse in pluribus subjectis: erg. una virtus non potest esse in pluribus potentiis animæ. Participative autem, & minus principaliter potest eadem recipi in pluribus potentiis: non enim est in illis per modum formæ propriæ. Ita D. Thom. 1. 2. q. 56. a. 1.

#### PUNCTUM II.

##### Divisio virtutis.

5. Inq. Quotuplex sit virtus? R. est

multiplex: primo enim dividitur in *naturalem, acquisitam, & infusam*, seu theologalem. *Naturalis* dicitur que ab ipsa natura quasi dimanat: Ut habitus principiorum, non quia cum anima creatur, sed quia postea terminorum notitia, statim resultat in intellectu possibili virtute agentis. *Acquisita* comprehendit omnes alias, que nostris actibus producuntur, sive intellectuales, sive morales. *Infusa* est, que a Deo infunditur nobis, sine nobis, ut fides, spes, & charitas, que sunt virtutes theologales, & per se infusæ.

6. Secundo dividitur virtus in *intellectualem, & moralem*. *Intellectualis* est, que perficit intellectum in ordine ad verum. *Moralis*, que perficit subjectum in ordine ad bonum, sive in intellectu, sive voluntate, sive in appetitu sensitivo: Et hæc virtus moralis est virtus simpliciter, quia efficit, & denominat subjectum simpliciter bonum, ad differentiam intellectualem, que solum est virtus secundum quid. Potest enim quis esse bonus Philosophus, aut Theologus, & non bonus simpliciter.

7. *Virtus intellectualis* alia est, que versatur circa universalialia, ut habitus principiorum, sapientia, & scientia. Et alia que versatur circa particularialia, ut prudentia, & ars. Omittimus prolixiorum sermonem circa virtutes intellectuales, que tantum ad verum ordinantur, quia non sunt præsentis instituti: Unde ad illas, que ad bonum diriguntur, progredimur.

8. *Virtus moralis* dividitur in quatuor, que appellantur cardinales, nempe *prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam*: que ideo vocantur cardinales, quia super eas volvitur tota humana operationis ratio, ipsisque velut cardinalibus vitæ honestæ, & politicæ universa series, & moles subnixæ est, sumpta metaphora ab ostii cardine.

9. Præterea virtus moralis dividitur in *infusam per se, & infusam per accidens*: Dicitur *infusa per se* illa, que a solo Deo postulat infundi, & a nulla causa creata produci potest, & hujusmodi sunt in omnium sententia fides, spes, & charitas. Dicitur *infusa per accidens* virtus, que natura sua petit nostris actibus ac-



quiri, ob specialem vero dispositionem Deus illam infundit; quo pacto omnes virtutes morales, & etiam omnes habitus scientiæ fuerunt infusæ Adamo, & etiam Christo Domino. Ita D. Thom. 3. par. 9. 7. art. 2.

10. Tandem D. Thom. 1. 2. q. 61. ar. 5. dividit virtutes cardinales, seu morales in politicas, purgatorias, heroinas, seu purgati animi, & exemplares. Politicæ dicuntur cum passiones adhuc perturbant, & vehementer insurgunt, illis tamen resistimus, licet cum difficultate. Purgatoriæ nominantur, cum jam passiones sunt pacatores, & poenæ sedatæ. Heroicæ, cum ita passiones cohibentur sunt, ut raro, aut vix repugnent rationi. Exemplares vocantur per imitationem Dei, qui omnis virtutis exemplar est; quo tendunt verba Christi Matth. 5. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut, & pater vester cælestis perfectus est.* Heroicitas virtutis, non stat solum in operando extraordinaria, sed in agendo etiam ordinaria heroice, hoc est jucunde, ferventer, alacriter in Dei obsequium, & ob ejus amorem. Unde virtus heroica solum differt a communi in modo perfectiori operandi. D. Tb. 3. p. q. 7. art. 2. ad 2.

## §. III.

## De proprietatibus virtutum.

11. Inq. Quæ sint proprietates virtutum? R. ommissis aliis, duæ potissimæ sunt velut proprietates virtutum, *mediocritas* scilicet, & *connexio*. Omnes enim virtutes morales consistunt in medio. Duplex autem medium assignatur pro virtutibus: unum *rationis*, alterum *rei*. *Medium rationis* est quando operatio regitur a prudentia in materia propria cum circumstantiis, aut conditionibus congruentibus personæ, loco, & tempori. Ex quo fit, quod operatio, quæ respectu unius, & in uno loco est prudens, respectu alterius, & in altero loco sit imprudens, & vitiosa. Ut cibus, qui respectu sani, & robusti est congruens, respectu infirmi, aut debilis est excedens, & nocivus. *Medium rei* dicitur illud, quod ex natura sua est fixum, & invariabile pro omni subjecto, & circumstan-

tia. Ut medium justitiæ, commutativæ, quod cum debito commensuratur, ita ut qui debet centum, totidem solvat, ut æqualitas ponatur: quæ quidem est medium rei. Quod intelligitur de justitiâ secundum suam rationem specificam; si enim consideretur secundum generalem rationem virtutis moralis, in ea etiam medium rationis admittendum est, cum actus justitiæ, sicut aliarum virtutum moralium regulandus sit per rectam rationem ad prudentiam, ut æqualitatem apponat cum omnibus circumstantiis honestatis.

12. Igitur omnes virtutes morales consistere in medio apud omnes compertum est: quia medium constituendum est in illa materia, ubi devitari potest a regula rationis, vel per excessum, vel per defectum; sed ita potest devitari in materia omnis virtutis moralis, siquidem omnes habent vitia opposita per excessum, & per defectum: erg. constituendum est medium rationis, quæ præscribat mediocritatem intendentia, seu prosecutione sui objecti; ut temperantia inter gulam, & inediam; humilitas inter pusillanimitatem, & superbiam; fortitudo inter timiditatem, & audaciam, & sic de aliis.

13. Objic. 1. Poenitentia est virtus moralis; sed non consistit in medio, nam licet in poenitentia possit esse defectus, non tamen excessus; quantumcumque enim quis doleat, semper majori dolore dignum est peccatum: erg. nequit dari excessus. R. neg. min. ad cujus probationem dicitur: quod peccatum licet semper sit dignum majori dolore, contingit tamen ex parte subjecti poenitentis, ut aliqui de maximis peccatis parum dolent, & ita est defectus. Vel quod propter illa mærore, & angore se ita immergant, ut de spe veniæ desperantes suicidæ fiant, ut patet in proditore Judæ: ideoque in poenitentia licet non possit dari excessus ex parte objecti, bene vero ex parte subjecti: & prudentia debet medium rationis statuere. Idem dicendum est de virtute religionis, in qua ex parte subjecti colentis potest dari defectus, ut si non faciat actus religionis, quando tenetur: vel excessus, quando oritur Deo cultum indebitum, vel superfluis

fluis cæremoniis, ut faciunt Judæi.

14. Objic. 2. In exercitio fidei, spei, & charitatis potest dari excessus ex parte subjecti, ut si quis continuato amoris divini, & contemplationis exercitio saltem perderet, fieretque impotens ad alia; vel si quis nimium de bonitate divina confideret, aut præsumeret, vel inter contrarias hæreses contra fidem mediam teneret, ut inter hæresim Nestorii, & Eutichi: erg. vel omnes, vel nulla virtus consistit in medio.

15. R. Virtutes theologicæ minime consistunt in medio: nam per se, & ex natura sua habent ipsum Deum pro regula, & mensura; licet mere per accidens, & ex imperfectione nostra debeat prudentia regulare earum exercitium. Quod docet D. Thom. 1. 2. q. 64. art. 4. dicens: *Numquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet, nec tantum credere, aut sperare in ipsum, quantum debet; unde multo minus potest ibi esse excessus: Et sic bonum talis virtutis non consistit in medio; sed tanto est melius, quanto magis acceditur ad summum.* Prosequitur dicens: *Dari aliam regulam, vel mensuram virtutis theologicæ ex parte nostra.* Et concludit: *unde per accidens potest in virtute Theologica considerari medium, & extrema ex parte nostra.* Igitur virtus moralis respicit suum objectum regulatum per se regula prudentiæ humanæ, quæ considerat omnes condiciones etiam subjecti: quod proinde etiam respicitur ex parte objecti. Virtus vero theologica per se solum respicit objectum regulatum divina perfectione; fides enim respicit Deum, ut summe veracem: spes ut summe potentem, & piæ: charitas autem ut summe bonum. Ad id quod additur de medio inter hæreses. R. ex D. Thom. loc. cit. ad 3. *Similiter etiam fides est media inter contrarias hæreses, non per comparationem ad objectum, quod est Deus, cui non potest aliquis nimis credere, sed in quantum ipsa opinio humana est media inter contrarias opiniones.* Itaque æqualis est error Nestorii asserentis per excessum duas personas in Christo, ac hæresis Eutichii, qui per defectum unam naturam assererat.

16. Inq. 2. An omnis virtus humana

sit juxta naturam hominis? R. affirm. tum quia ut diximus, omnes virtutes morales, idem est de intellectualibus, consistunt in medio rationis: quia virtus nihil aliud est, quam *habitus operativus secundum rationis normam*: naturalis autem propensio hominis, in quantum est rationalis, tendit ad operandam secundum rationem; quia forma, a qua res speciem sortitur, tribuit ei naturalem propriam inclinationem. Ideo sicut grave natura sua ad centrum propendit, leve vero sursum ascendit; ita natura hominis secundum rationem vivere naturaliter exposcit.

17. Ex opposito sequitur, omnia vitia esse contra naturam hominis: omnia enim sunt contra rationem; licet enim in homine duplex sit natura, alia propria, seu rationalis, alia generica, seu animalis: secundum utramque debet vivere juxta præscriptum rationis, ideoque omnia vitia, quæ a ratione declinant, sunt contra hominis naturam. Verum illa vitia, quæ non solum contra naturam rationalem militat, sed etiam contra genericam, & animaleam, ut pollutio, bestialitas, & sodomia per anthomiasiam vocantur *contra naturam*.

18. Inq. 3. An virtutes theologicæ pendeant per se a prudentia? R. neg. quia earum objectum non subest prudenti determinationi, sed est supra illam; verum per accidens potest actus virtutis theologicæ dependere a prudentia, non solum infusa, sed ab acquisita; prout hæc removel impedimenta, quæ possunt ex parte nostra dictos actus impedire.

## PUNCTUM IV.

## De connexione virtutum.

19. Supponimus 1. dari virtutes per se infusas specificè distinctas ab acquisitis, quæ infunduntur cum gratia: quia in homine debent dari virtutes, quibus in ultimum suum finem supernaturalem speciali modo feratur; sed virtutes acquisitæ non sunt tales: ergo debent assignari aliæ supernaturales, quæ infundantur a Deo simul cum gratia, & virtutibus theologis. Ita D. Thom. 1. 2. q. 63. art. 3. & 4.



20. Supponimus 2. Virtutes acquisitas in statu imperfecto non esse necessario connexas: quia potest aliquis ex consuetudine, vel ex naturali complexione esse promptus ad opera liberalitatis, & non ad actus temperantiae.

21. Supponimus 3. Virtutes intellectuales non dicere necessariam connexionem inter se; cum una sine altera possit reperiri, ut scientia sine prudentia, vel ars sine scientia: quia sunt circa materias diversas ad invicem non ordinatas. Idem dicimus de virtutibus theologicis: fides enim, & spes pluries sine charitate reperiuntur. Utinam numquam reperirentur!

22. Dicendum est 1. Virtutes in esse perfecto esse invicem connexas, ut qui una caret, nullam perfecte habeat: quia perfecta virtus moralis pendet a perfecta prudentia; sed prudentia nequit esse perfecta sine consortio omnium virtutum: ut enim perfecta sit, debet regere totum hominem, omnemque ejus operationem conformiter ad regulam rationis: ergo omnes virtutes morales in esse perfecto ad invicem sunt connexae. Unde apud Gentiles nulla fuit virtus perfecta, qua ratione nullus fuit absolute heroicus. Virtus heroica solum differt a communi in modo operandi; ita ut id ipsum, quod operatur virtuosus modo ordinario, efficit heroicus modo heroico, hoc est perfectius, & ferventius: licet verum sit dari aliquas actiones singulares, in quibus plus refulget heroicitas, ut libenter mori pro fide, & similia.

23. Dicendum est 2. Virtutes morales per se infusae esse necessario connexas cum charitate. Prob. Virtutes morales infusae non possunt esse sine prudentia infusa, sicut nec virtutes morales acquisitae sine prudentia acquisita; quilibet enim virtus moralis debet dirigi a prudentia sui ordinis; sed prudentia infusa nequit sine charitate subsistere: ergo neque virtutes morales infusae.

24. Prob. alia ratione; per charitatem tota lex impletur, ut dicitur 13. ad Romanos: qui diligit proximum, legem implevit; sed tota lex impleri non potest nisi per omnes virtutes morales; quia lex praecipit de omnibus actibus virtutum: ergo qui habet charitatem, habet omnes

virtutes morales per se infusae. Unde nec charitas sine virtutibus infusis, neque istae sine charitate consistere possunt. E contra autem virtutes acquisitae possunt esse sine charitate, ut accidit in Gentilibus, & peccatoribus, in quibus potest esse essentia virtutis, licet non perfecta. Et charitas sine illis, ut in parvulis baptizatis.

## PUNCTUM V.

## De dignitate, &amp; praestantia virtutum.

25. Comparatio virtutum potest fieri primo inter virtutes supernaturales, & naturales. 2. In ipsis naturalibus inter intellectuales, & morales. 3. Inter ipsas morales, seu cardinales.

26. Inq. 1. An virtutes supernaturales sint praestantiores naturalibus? R. affirm. quia sunt ordinis superioris, & tendunt in objectum nobilissimum, nempe supernaturale. Verum inter ipsas supernaturales ceteris theologicis supereminet; quia respiciunt Deum pro objecto immediato: & in hac vita, ut ait Apostolus, major est charitas; deinde fides perfectior est spe: quia objectum fidei est abstractius, & universalissimum.

27. Inq. 2. An virtutes intellectuales sint nobiliores moralibus? R. affirm. Haec assertio debet intelligi comparando genus ad genus, supremumque intellectuale, puta visionem Dei, ad supremum morale, nempe ad amorem. Nam si comparatio fiat in individuo, praestiosior est charitas, imo & justitia qualibet scientia naturali. Unde sistendo in naturalibus nobiliores, melioresque sunt virtutes morales praeter intellectuales pure speculativas: nam istae tantum secundum quid appellantur virtutes; non enim efficiunt simpliciter bonum illas habentem: sine illis possumus balvari, minime sine istis. Verum hoc non obstat, quia virtutes intellectuales sint simpliciter digniores, & nobiliores; versantur enim circa nobilissimum objectum, nempe verum, quod intransitive est bonum: & gaudent nobiliori subjecto, nempe intellectu.

28. Inter virtutes intellectuales praestantissima est sapientia; quia considerat causam altissimam, quae est Deus. Deinde

inde dignitate alias virtutes praecellit epikeia. Ita D. Thom. 2. 2. q. 120. art. 2. ubi dicit. *Legalis justitia dirigitur secundum epikeiam: Unde epikeia est quasi superior regula humanorum actuum.* Et ad 2. addit esse meliorem justitia legali.

29. Sequitur prudentia, quae ceteris comparatur, ut dux militibus; prudentia enim cum suis comitibus est omnium virtutum ductrix, & imperatrix, ideoque praeter rationem generalem intellectualium virtutum, etiam ut moralis excellentior est omnibus; omnia quippe virtus moralis a ratione tamquam a primaria radice suam probitatem assequitur: ergo cum prudentia rationem ipsam perficiat, dirigat, & gubernet, optima omnium virtutum procul dubio est.

30. Post prudentiam sequuntur virtutes pure morales, quae in appetitu resident, ex quibus praclarissima apparet *justitia legalis*, quae virtus architectonica dicitur, ceterasque omnes antecellit, recipitur in voluntate, & velut sol reliquis lumen infundit, dirigens omnes ad bonum commune. Deinde sequitur *justitia particularis*, seu commutativa, quae ideo praecipue Hespero assimilatur, quia fulgentissimum Republicae pulchritudinem affert, servans jura, & pacta in bello, & in pace, tribuens unicuique quod suum est, recipiturque in voluntate.

31. Sequitur in dignitate *fortitudo*, quae homines celeberrimos facit, maxime tot martirum candidatos exercitus, caelo coronatos inseruit: Et quia ejus objectum est immaterialius, ac difficilius, versatur enim circa pericula mortis, excellentior est virtute temperantiae; quae tantum versatur circa delectabilia tactus, qui omnium sensuum est materialior, ideoque recipitur in concupiscibili; fortitudo vero in irascibili. Ita D. Thom. 1. 2. q. 66. a. 4.

32. *Religio* est pars potentialis justitiae, & praecipua inter virtutes morales, quia magis accedit ad Deum; eo quod praescribit ea, quae directe, & immediate ordinantur ad honorem divinum. Ejus subjectum est voluntas, sicut omnis virtutis justitiae. *Misericordia* denique pars potentialis est charitatis, & dicitur *alienae misericordiae in nostro corde compassio*. Ab Angelico Doctore potissima appellatur in-

ter omnes virtutes, quae ad proximum pertinent; eo quod perfectior sit ejus actus sublevandi alienam miseriam: ejus subjectum est voluntas. Addit ad charitatem, ex qua per se oritur, compassionem proximi ad sublevandam ejus miseriam: nam ad compassionem proximi praecise sufficit ipsa charitas; misericordia vero ultra progreditur circa objectum secundarium charitatis, nempe ad sublevandam miseriam proximi. Est et alia misericordia, quae subjectatur in concupiscibili, consistitque in moderatione duritiae cordis, & passionis *nemesis*, seu tristitiae de bono alieno indigne posesso; & haec misericordia dicitur passio, & non proprie virtus appellatur. D. Thom. 2. 2. q. 30. a. 3.

33. Inq. 3. Quae virtutes remaneant in patria? R. D. Thomas 1. 2. q. 57. a. 1. docet virtutes morales non manere in patria quantum ad id, quod est materiale in eis: *Non enim, inquit, habebunt in futura vita locum concupiscentiae, et delectationes ciborum, et venerorum, neque etiam timores, et audaciae circa pericula mortis: neque etiam distributiones, et communicationes rerum, quae veniunt in usum praesentis vitae. Sed quantum ad id, quod est formale, remanebunt in beatis perfectissima post hanc vitam, in quantum ratio uniuscujusque, relictissima erit circa ea, quae ad ipsum pertinent, secundum statum illum; et vis appetitiva omnino movebitur secundum ordinem rationis in his, quae ad statum illum pertinent.*

34. In art. 2. eodem modo resolvit circa virtutes intellectuales, remanere in patria secundum formale earum, hoc est, in quantum ad notitias, & species intelligibiles; non vero quoad materiale, hoc est, quoad phantasmatum, & alias imperfectiones.

35. In art. 3. & sequentibus docet, ex virtutibus theologicis solam charitatem remanere in patria; non vero fidem, & spem: quia ut inquit Apostolus 1. ad Corinthios. 13. *Charitas numquam excidit; & fruitor perfectissime suo objecto: ex opposito fides, & spes evaguantur in patria suis objectis: nam fides est argumentum non apparentium; & quod videt quis, quid sperat? ut inquit idem Apostolus ad Romanos. 8. Unde praeter fidem, &*



& spem omnes aliæ virtutes remanent in patria.

## CAPUT II.

## De virtutibus cardinalibus.

## PUNCTUM I.

## De prudentia.

36. Prudentia juxta D. August. est cognitio verum appetendarum, & fugiendarum. Juxta Aristotelem est recta ratio agibilium: consistit in ratione practica, ejus principalis actus est præcipere: imperat enim applicando universalia secundum rationem ad opus. Ejus objectum formale non est præstituræ finem virtutibus moralibus, sed ea, quæ sunt ad finem: nempe qualiter, & per quæ homo in operatione attingat medium rationis. Itaque objectum formale prudentiæ est peculiaris honestas dictandi quid hic & nunc, perpensis omnibus, agendum, aut omitendum sit.

37. Objectum ejus materiale trascendit materiam omnium virtutum, omnes enim dirigit prudentia in assecutione sui finis, & attingentia medi rationis; ex quo sequitur, nullam posse acquiri virtutem moralem sine prudentia, ejusque directione: qua ratione merito appellatur auriga virtutum, & ordinatrix affectionum.

38. Prudentia vera, & simpliciter talis nequit esse in peccatore: quia existens in peccato habet animum inordinatum; & licet Christus D. dicat Luc. 16. Quod filii hujus sæculi prudentiores sunt filii lucis, loquitur de prudentia carnis, quæ falsa est. Potest tamen dari in peccatore prudentia acquisita circa aliqua particularia negotia: nam ut diximus, virtutes acquisitæ possunt esse, licet non perfecte, sine gratia, & charitate.

39. Dividitur prudentia essentialiter in monasticam, quæ respicit bonum proprium, & in politicam, seu gubernatricem, quæ ordinatur ad bonum commune, & hæc subdividitur in regnativam, civilem, economicam, & militarem. Unde misericors dolet, in quantum æstimat aliquem indigna pati. Nemesicus autem gaudet, in quantum æstimat aliquos di-

gne pati: tristatur, si indignis bene accidat. Et utrumque est laudabile, at regnativa, quæ etiam legislativa dicitur, attendit ad regimen, & bonum totius regni. Civilis ordinatur ad curam civitatis. Economica ad rectam dispositionem domus, aut familiæ. Et militaris ad hoc, quod milites recte instruantur ad repellendos hostium insultus. Et licet Scotus velit prudentiam dividere in plures partiales, ita ut cuilibet virtuti tribuat suam partialem, aut peculiarem prudentiam; tamen D. Thomas melius indicat sufficere dictam divisionem.

40. Octo partes integrales prudentiæ assignantur a D. Thoma, nempe memoria, intelligentia, ratio, docilitas, & solertia, item providentia, circumspectio, & cautio: ex quibus quinque priores perficiunt prudentiam, ut cognoscitivam; tres vero posteriores ut præceptivam. Memoria est recordatio præteritorum. Intelligentia cognitio præsentium. Ratio dicit consilium. Docilitas est ad acquisitionem cognitionis per studium, aut disciplinam: unde Salomon ad regendum prudenter populum suum postulabat a Deo cor docile. Si autem cognitio acquiritur per inventionem, vocatur eustochia, aut solertia, quæ vera conjecturatio medii dicitur: est enim solertia: ars inveniendi repente id quod congruit. Unde sollicitus idem est, ac solers, & citus. Deinde ad recte præcipiendum requiritur providentia, quæ ordinat aliquid ad commodum finem. Unde prudens est procul videns. Circumspectio, quæ attendit ad omnes circumstantias operationis, & negotii; & denique cautio ad vitanda impedimenta quæ occurrere possunt.

41. Habet etiam prudentia partes potentiales, nempe ebuliam, synesim, & gnomen. Ebulia est recitudo consilii, vel est virtus bene consiliativa. Synesis est virtus bene judicativa de omnibus, quæ secundum communes regulas sunt. Gnome autem est virtus bene judicativa de his, quæ præter regulas communes accidunt, & coincidit cum epikeia.

42. Peccata, seu vitia opposita per defectum prudentiæ, sunt 1. imprudentia positiva, quando quis consultit, judicat, aut præcipit contra regulas præscriptas ab ipsa prudentia. 2. præcipitatio. 3. in-

consideratio. 4. inconstantia. 5. negligentia, quæ omnia oriuntur præcipue ex luxuria: nam vitium carnale maxime obnubilat, obtrudit, & perturbat rationem.

43. Deinde opponitur prudentiæ per excessum: 1. prudentia carnis, de qua Apostolus ad Rom. 8. inquit. Prudentia carnis mors est, ordinatur enim ad carnis amorem, ut ad ultimum finem. 2. astutia, qua per media simulata intenditur consecutio finis. 3. dolus, qui ordinatur ad executionem astutiæ: nam astutia excogitat media fallacia, & utitur dolo ad fallendum, sive factis, sive verbis. 4. sollicitudo nimia, vel cura superflua temporalium: quod cavetur Matth. 6. Nolite solliciti esse. Minime vero prohibetur providentia debita, & moderata cura præsentium, aut futurorum; imo Proverb. 6. Proponitur imitanda sollicitudo congrua fornicæ. Unde concludit D. Thomas. Non ergo Dominus improbat si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista non militet Deo.

44. Ex descriptione veræ prudentiæ colligitur, quam rara avis sit in terra, nam licet omnes justi gaudeant prudentia necessaria ad salutem; illam tamen quæ sibi, & aliis bene regendis in omnibus, quæ ad humanæ vitæ rationem attinent, requiritur, paucissimi possident. Tardi ingenio, & illiterati prudentes esse non possunt. Flegmatici & taciturni interdum prudentes reputantur, sed humor multum distinguitur a virtute. Studio, labore, ac experientia acquiritur vera prudentia, ideo magis est in senibus; ait D. Thom. 2. 2. q. 47. a 15. ad 2.

## PUNCTUM II.

## De justitia.

45. Secunda virtus cardinalis est justitia. Duplex consideratur justitia, alia generalis, quæ est totius vitæ, omniumque actionum ad legem divinam conformatio, & alia particularis, de qua erit fusior sermo tract. 18.

46. Dividitur tanquam in partes subiectivas in legalem, distributivam, & commutativam: Tamquam in partes potentiales dividitur in religionem, pœni-

tentiam, observantiam, pietatem, gratitudinem, fidelitatem, veritatem, amicitiam, liberalitatem, affabilitatem, & vindictam.

47. Religio tribuit Deo cultum, & reverentiam. Pœnitentia nititur satisfacere Deo pro offensa. Observantia est virtus, quæ homines in dignitate constitutos peculiari honore veneratur. Sub observantia comprehenduntur dulcia, biperdulia, & obedientia particularis, qua subditi superiorum mandata exequuntur.

48. Pietas est virtus, qua parentibus, patriæ, & conjunctis honorem exhibemus. Gratitude, seu gratia est virtus, quæ inclinatur ad beneficia compensanda, & gratiam reddendam benefactoribus. Opponitur gratitudinis ferale vitium ingratitude: cujus gradus graphice exponit Seneca lib. 3. de benefic. dicens: Ingratus est, qui dissimulat, ingrator, qui non reddit, ingratus omnium, qui oblitus est. Forte non venit in mentem hujus præclarissimi ingenii, posse dari hominem, qui ipsis beneficiis expugnaret benefactorem!

49. Fidelitas est virtus, quæ inclinatur hominem ad standum promissis. Veritas, seu veracitas propinqua fidelitati est virtus, quæ nos facit dicere verum, est fundamentum societatis humanæ. Sine veritate nihil bonum. Amicitia est virtus, quæ curat, ut conversatio grata sit cum proximis speciali communicatione conjunctis. Affabilitas eandem gratiam extendit ad omnes, ordinando illam ad vitam socialem. Duo vitia istis virtutibus opponuntur per excessum, ut adulatatio, & blanditio: quibus palpanitur amici, & indulgemus eorum non rectis inclinationibus, & moribus. Opponuntur eis alia duo vitia per defectum, nempe tadinum, aut tristitia, gravitas, aut morositas, & litigium, seu jurgium: quæ contristant amicos, & dissolvunt amicitiam.

50. Liberalitas est virtus, qua quis libenter sua bona expendit ad usum congruentem, ad hanc reducitur magnificentia pro ut est adalterum: est enim quedam egregia liberalitas. Opponitur liberalitati per excessum prodigalitas, qua plus dat, quam oportet; & avaritia, quæ minus tribuit, quam convenit. Vindicta est virtus, quæ convenientem injuriæ satisfactionem



*disfactionem* exposcit. Distinguitur a *justitia vindicativa*: nam hæc residet in iudice; *vindicta* vero in quolibet particulari, qui recta intentione desiderat emendationem peccantis, & justitiæ conservationem. Duo etiam vitia ei opponuntur: aliud per excessum, & est *crudelitas*, vel *severitas*: quæ modum punitionis excedit; aliud per defectum, & est *nimia remissio* in punitione.

## PUNCTUM III.

## De fortitudine.

51. Tertia virtus cardinalis est *fortitudo*: D. Thom. 2. 2. q. 123. a. 2. illam definit cum Tullio. *Considerata periculorum susceptio, & malorum perpassio*. Vel potest defini, *virtus rectificans irascibilem circa audaciam, & timores*. Hæc enim præstantissima virtus moderatur audaciam, excutitque timorem, & tristitiam in periculis maxime circa mortem.

52. Alia appellatur *domestica*, quæ firmat animum in adversis regulariter contingentibus: Ut in amissione honoris, famæ, salutis, familiæ, & possessionum. Alia nominatur *bellica*, quæ animum roborat adversus hostes sive corporales, sive spirituales. Hac excelluerunt præcipue Sancti, qui præliati sunt prælia Domini, de quibus Apostolus ad *Hebræos II.* dicit: *Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello*. Isti utique sua fortitudine æternam adepti sunt coronam, cui comparata illa Romanorum civica, obsidionalis, castrensis, muralis, & navalis, vana profecto est.

53. Duo sunt actus præcipui fortitudinis, *aggressio, & perpassio*, seu *aggredi, & sustinere*: ex quibus principalior est *perpassio*: nam aggressionem invadit quis res arduas, & gravia pericula; sed perpassione sustinet calamitates, persecutiones, tormenta, & ipsam mortem, quæ omnium terribilium terribilior est. Unde Martyrium, qui actus principalissimus fortitudinis est, non in aggredi, sed in sustinere consistit.

54. Objectum ejus formale sunt timores & audaciæ, ut ordinati mensura rationis. Materiale sunt ipsæ passiones honoris, & audaciæ: in ipsis enim ponit

fortitudo rationis modum. Actus externi, nempe aggredi, & sustinere prout oportet, aut etiam fugere quando oportet, & pericula gravia, maxime bellica, pertinent ad objectum ejus materiale secundarium.

55. Partes integrales fortitudinis sunt *magnanimitas, magnificentia, patientia, & perseverantia*: quæ dum versantur circa ejus materiam principalem, nempe circa pericula mortis, sunt proprie partes integrales; si vero referantur ad alias materias minus difficiles, potius sunt partes potentiales.

56. Magnanimitas est *virtus inclinans animum ad opera magna, & heroica in omni genere virtutum*. Denotat animi magnitudinem super omnia temporalia, quæ revera parva sunt, & elevat hominem ad virtutum opera excelsa, & egregia respiciens illa formaliter ut magna. Ad hæc reducuntur alie partes potentiales, nempe *fiducia, securitas, eupsychia, seu bona animositas, virilitas, & andragogia, seu strenuitas*. Magnanimus enim fiducialiter, secure, viriliter, & strenue in omnibus se gerit. Unde intendit etiam ad magnos honores propter virtutem, quin ex hoc humilitati opponatur: nam omnis vere magnanimus est humilis, imo humillimus, quia sicut, & in cæteris, in humilitate est magnus: despiciens honorem vanum, tantum querit verum honorem, qui solum in virtute consistit. Hinc inclita Virgo, & Mater nostra *Teresia* adeo magnanima, ut omnibus est notum, inter peccatores maximam se reputabat. Simili humilitate pollebant *Seraphicus Franciscus, & alii Sancti*, quia per magnanimitatem inspiciebant in se, quæ a Deo habebant, sed per humilitatem solum videbant in se, quæ habebant ex se.

57. Vitia opposita magnanimitati per excessum, sunt *presumptio inordinata, ambitio, & inanis, seu vanagloria*. Per defectum *pusillanimitas*, quæ animum retrahit a magnis suæ virtuti congruentibus.

58. *Magnificentia* est *virtus inclinans hominem ad magnos, & splendidos sumptus, opportuno tempore, & ordine faciendos*. Distinguitur a magnanimitate, quia hæc primario intendit ad *magnum* cir-

circa honores, & actus interiores virtutum, *magnificentia* vero primario respicit *magnam* circa actus externos, vel magnitudinem in operibus faciendis, ut magnam domum, splendidum convivium, sumptuosum templum, & quæ pertinent ad divina sacrificia: & circa hoc maxime studet magnificus, inquit D. Thom. Omnia autem statui propria conformia esse oportet, ut a magnificentie virtute proveniant. Unde etiam pauperes possunt esse magnifici, si expendant, vel expendere optent cum animi amplitudine, quæ secundum suum statum ratio exigit.

59. Vitium oppositum per defectum est *parvificentia*, seu vitium animi depressi, Hispanè, *de animo apocado*. Parvificus enim circa omnia est parvus, & omnia facit tardans & tristis, ac semper timens se plus dare, quam oportet: nihil efficit splendide, licet plura consumat: immo bona parvifici bis consumuntur. Opponitur per excessum *bonausia, seu prodigalitas*, quia quis majores sumptus profundit, quam necessitas, & ratio exposcunt, & dicitur *nimia profusio*.

60. *Patientia* est *virtus inclinans hominem ad toleranda adversa æquo animo, & placida tranquillitate*. Virtus profecto in omnibus, omnique loco, & tempore summo opere perutilis, & necessaria: nam ut ait Apostolus ad *Hebræos I.* *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissiones*. Hac enim efficimur in prosperis humiles, in adversis stables, in contumeliis mites, in infirmitatibus fortes, & omni tribulatione superiores. Ipsa virtutes perficit, tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones denique & martyria consumat. Ad hæc reducitur *longanimitas*, quæ firmat animum, ne deficiat in dilatione boni desiderati.

61. Opponitur *patientie* per excessum vitium *impatientie*, quæ homo plus justo de malis dolet, & tristatur, in quo potest graviter delinquere ratione scandali, vel ob mala, quæ impatienter profert, aut operatur. Per defectum opponitur ei *insensibilitas*, quæ quis propter duritiam animi nec propriis, nec alienis malis condolet.

62. *Perseverantia* est *virtus, quæ fir-*

*mat animum in bono opere, ne desistat propter diuturnitatem*. Opponitur ei per excessum *pertinacia*, quæ quis retinet propriam sententiam, aut propositum plusquam oportet. Per defectum *inconstantia*, quæ deficitur a bono opere propter inertiam, vel pigritiam, aut amorem voluptatis. Non loquimur hic de illo speciali beneficio, quod gratiam cum morte conjungit, & appellatur *donum perseverantie*, vel *perseverantia finalis*: quia hæc non est virtus, nec potest a nobis acquiri, nec mereri, sed misericorditer conceditur a Deo, qui salvandos salvat gratis.

## PUNCTUM IV.

## De temperantia.

63. *Temperantia* est *virtus, quæ moderatur concupiscibilem in delectationibus sensibilibus præcipue gustus, & tactus*. Objectum ejus formale est omne concupiscibile ordinabile per rationem. Materiale est ipsum concupiscibile considerata secundum se, seu in esse rei. Opponitur ei per excessum *intemperantia*, quæ homo præscriptum a ratione modum excedens abutitur voluptatibus corporis. Per defectum *stupiditas sensuum*: hoc vitium vix est in mundo, aspèrnat enim omnes delectationes, etiam licitas, & necessarias, ac si homo insensibilis, aut lapsus esset.

64. Partes ejus integrales sunt *verecundia, & honestas*. *Verecundia*, (quæ potius dispositio ad virtutem, quam virtus, dici potest,) est *timor turpitudinis, & confusionis*, actionem inhonestam consequentis ad distinctionem pudicitie, quæ est timor turpitudinis ob amorem virtutis: cui opponitur *impudicitia*. Opponitur ei *inverecundia, vel impudentia*, quæ homo de turpibus potius se jactat, quam confundit. *Honestas* est *virtus retrahens hominem ab omni, quod turpe, & vitiosum redolet*.

65. Species temperantie, seu partes ejus subjectivæ sunt *abstinentia, sobrietas, & castitas*, seu *pudicitia*. *Abstinentia* est *virtus moderans appetitum cibi, & potus*. *Sobrietas* est, quæ moderatur appetitum circa usum vini, vel aliter



rius liquoris potentis inebriare. Mensura cibi, potus, & somni regulanda est juxta rectam rationem habito respectu personæ, & aliarum circumstantiarum.

66. Castitas est virtus, quæ moderatur appetitum circa usum venererum. Dividitur in conjugalem, vidualem, & virginalem. Omnibus præstantior est virginalem. Quæ firmat voluntatem per totam vitam ob omni delectatione venerea. Conjugalis est voluntas firma abstinendi a venereis illicitis. Vidualis est propositum abstinendi in posterum ab omni delectatione venerea. Opponitur abstinentiæ, gula, sobrietati, ebrietas, & castitati, luxuria.

67. Partes potentiales temperantiæ sunt continentia, clementia, mansuetudo, humilitas, studiositas, eutrapelia, & silentium. Continentia est virtus; quæ ab omni prorsus delectabile abstinemur: & hæc coincidit cum castitate. Clementia est virtus inclinans animum superioris ad lenitatem in pœna infligenda: Virtus hæc maxime Christianorum propria est. Opponitur ei per excessum crudelitas, & per defectum nimia lenitas. Mansuetudo est virtus, quæ motus iræ moderatur: In hac sicut in humilitate præ cæteris nobis Christus se exemplar, & Magistrum præbuit, cum dixit: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Modestia est virtus quæ moderatur motus, & actiones exteriores hominis. Opponitur ei per excessum petulantia, & insolentia, & per defectum rusticitas.

68. Humilitas est virtus, quæ quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Vel juxta D. Thom. est virtus, quæ quis considerans suum defectum, tenet se in infimis secundum modum suum. Ex quo sequitur humilitatem prolem esse legitimam veritatis: gignitur enim in homine ex verissima sui cognitione. Unde proflit in quatuor actus, sive affectus. 1. Contemptus sui. 2. Velle ab aliis estimari, & haberi qualis ipse se judicat coram Deo. 3. Estimare se omnibus deteriorem, & viliorum. 4. Semper amplecti quod vilius, & abjectius est. In hoc speculo potest quilibet contemplari qualem habeat humilitatem. Opponitur ei superbia, quæ est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ: Habetque actus oppositos prædictis actibus humilitatis.

69. Studiositas est virtus præscribens ordinem servandum in cognitione, & scientia comparanda. Ostendit quæ conditioni, statui, professioni, capacitati, & temporis sciri convenient, aut adversentur. Opponitur ei curiositas, seu appetitus inordinatus cognoscendi. Multis modis potest hoc vitium esse mortale. 1. Si per studium minus utile retrahatur quis a studio eorum, quæ debet scire. 2. Si aliquis addiscere velit modo superstitioso. 3. Si legat libros prohibitos. 4. Si scire cupiat, quæ ab alio revelari nequeunt. 5. Si studium immoderatum graviter valetudinem lædat. 6. Si legas, aut aperias epistolas alterius eo invito, & sic de aliis.

70. Eutrapelia, seu jucunda urbanitas est virtus moderans exercitium joci, & ludi. Per defectum opponitur ei nimia severitas in se, & in aliis. Per excessum inordinatus affectus, & modus joci, & ludi sive in verbis, sive in factis, transgrediens circumstantias honestas, & congruas loco, temporis, & personæ. Verum vitium pro defectum raro contingit, per excessum autem frequentius, maxime in comediis, theatris, & choreis. Nihil præstiosius tempore, ea tamen est hominum insania, ut inani studio, otio, & rebus ludicris, ac lubricis diem transigant, & tempus perdant, cuius vel instans damnati, & animæ purgatorii, imo ipsi etiam beati omni labore, poena, cruciatus, & dolore libenter mercarentur. Nec erit in inferno, aut purgatorio major cruciatus, quam jactura temporis, vel tempus inaniter joci, otio, ludis amissis.

71. Silentium potest definiri moderatio in verbis juxta rectam rationem, & exigentiam negotii, loci, temporis, & personæ. Non enim consistit silentium præcise in tacendo: hoc enim pacto etiam lapides silent; sed in mensura, & moderate ratione verborum propter aliquod honestum motivum. Unde ejus virtutis debet esse immediatus actus, cujus fuerit motivum silenti: ideoque si taceas, ne proximo noxentum inferas, erit actus charitatis, vel justitiæ; si vero stiles, ne devotio evaquetur, expectabit ad religionem, & idem est si motivum

si.

silendi fuerit reverentia loci sacri, & sic de cæteris. Unde optime dicitur silentium virtutum ornamentum, & cultus justitiæ. Sicut lingua dissoluta appellatur a D. Jacob. 3. 6. Universitas iniquitatis; Ita ex opposito lingua moderata est universitas bonitatis, & virtutis. Pythagoras præscripsit suis discipulis silentium quinquennale, ut discerent recte loqui. Nunquam loquetur bene, qui non didicit tacere.

## CAPUT III.

De donis Spiritus Sancti, fructibus, & beatitudinibus.

## PUNCTUM I.

De donis in communi.

72. Inq. 1. Quot modis possit sumi donum Spiritus Sancti? R. tripliciter. Primo, pro quolibet Dei beneficio, quod cum procedat ab ejus amore, qui appropriatur Spiritui Sancto, potest dici donum Spiritus Sancti, & hoc modo etiam beneficia naturalia appellari valent dona Spiritus Sancti. Secundo, principaliter bona supernaturalia a Deo nobis concessa dicuntur dona Spiritus Sancti. Inter immensa autem divinæ largitatis beneficia potissimum donum fuit incarnatio filii Dei: deinde summum, & admirabile Eucharistiæ sacramentum, ubi donator venit in donum. Tertio, proprissime dicuntur dona Spiritus Sancti quædam perfectiones supernaturales, quibus homo disponitur ad motionem Dei, & de his loquimur in præsentibus cum D. Thom. 1. 2. q. 68.

73. Inq. 2. Quid sit donum? R. est habitus supernaturalis disponens hominem, ut sit prompte mobilis a Spiritu Sancto. Dicitur habitus: quia dona habitualiter manent in justo secundum illud Joann. 14. Apud vos manebit, & in vobis erit. Hoc est, Spiritus Sanctus ratione donorum dicitur supernaturalis, datur enim supra omnes vires, & exigentiam naturæ: quod amplius patet ex cæteris particulis definitionis, ut pote quæ altissimum munus, & finem donorum decla-

rat. Dona autem Spiritus Sancti sunt septem.

74. Inq. 3. An sit tamquam de fide credendum dari in Ecclesia septem dona Spiritus Sancti? R. affirm. constat ex cap. 11. Isaiæ, ubi loquens de Christo, ait, quod erit in eo Spiritus sapientiæ, intellectus, consilium, fortitudinis, scientiæ, pietatis, & timoris Dei. Ex Apoc. 4. 8. Dedit dona hominibus. Ex his donis quatuor, nimirum: sapientiæ, intellectus, consilium, & scientiæ pertinent ad intellectum, & perficiunt partem intellectivam. Tria vero nempe fortitudo, pietas, & timor spectant ad voluntatem, & perficiunt vires appetitivas.

75. Inq. 4. An dona sint necessaria ad salutem? R. affirm. nam ad salutem consequendam necesse est, quod homo plene sequatur instinctum Dei; sed ad hoc disponitur per dona: ergo hæc sunt necessaria ad salutem consequendam. Ita D. Thom. ubi supra a. 2.

76. Inq. 5. An dona sint virtutes supernaturales specie distinctæ a cæteris virtutibus? R. affirm. Prob. I. ex D. Greg. qui distinguit septem dona, quæ dicit significari per septem filios Job, a tribus virtutibus theologis, quas ait significari per tres ejus filias. Et in 2. Moral. distinguit eadem septem dona a quatuor virtutibus, quæ dicit significari per quatuor angulos domus.

77. Prob. ratione: quia virtutes reliquæ rectificant hominem secundum instinctum, & imperium rationis; dona vero secundum motionem, & imperium Spiritus Sancti. Ex quo sequitur 1. quod licet dona, & virtutes versentur circa eandem materiam, diverso tamen modo perficiunt hominem: nam dona ex motivo superiori, & eminentiori. 2. Dona esse præstantiora virtutibus, exceptis theologis, quia dona perficiunt vires animæ comparatione ad Deum; virtutes vero comparatione ad rationem. Sed quia virtutes theologice perficiunt hominem in ordine ad Deum, & insuper illum immediate conjungunt Deo, sunt perfectiores ipsis donis.

78. Inferitur insuper differentia inter dona, & alias virtutes, quod licet istæ disponant hominem ad recipiendam mo-



tionem Dei, & ad bene operandum, hoc præstant modo humano, & ordinario secundum regulas prudentiæ, acquirunt, vel infusæ, dona vero modo superhumano, extraordinario, & supra regulas prudentiæ, etiam infusæ.

79. Tandem infertur duplex discrimen inter dona, & gratias gratis datas. *Primum*, illa dari permanentia, & per modum habitus, quia requiruntur ad propriam perfectionem, sicut aliæ virtutes. Gratia autem, cum potius concedantur in aliorum utilitatem, solum dantur quando Spiritui Sancto placet, & tunc non habitualiter; licet donum linguarum, quod est una ex novem gratis enumeratis ab Apostolo 1. *Corinth.* 12. permanentem fuisse concessum Apostolis ait D. Thom. 2. 2. q. 176. a. 2. ad 3.

So. *Secundum*, quod dona habent necessariam connexionem inter se, & cum charitate, sicut reliquæ virtutes infusæ: quod juxta D. Thom. significatur per septem filios Job, qui mutuo convivio invicem pascebantur. Gratia vero, cum non sint proprie virtutes, nec faciant bonum eas habentem, nec inter se, nec cum caritate habent necessariam connexionem. Unde possunt reperiri in peccatore, ut prophetia in Caïpha, & una sine aliis, ut pluries contingit. Nec absolute sunt signa sanctitatis, licet regulariter, & ut plurimum non peccatoribus, sed justis conferantur: qua ratione in canonizatione Sanctorum secundo loco, & post virtutes celebrantur, ac merito laudantur.

## PUNCTUM II.

## De donis in particulari.

81. Donum *sapientiæ* omnium præstantissimum correspondet caritati, quæ ut regina, & perfectissima inter virtutes omnes refulget. Datur ad judicandum de rebus divinis per altissimam causam: judicat enim per ipsum Deum de ejus bonitate, pulchritudine, amabilitate, & cæteris perfectionibus: quod efficit sine discursu ex quadam unione, & affectione exoerimentali ad Deum orta ex divina caritate, & ex gustu, qui ex amore percipitur, juxta illud *Psalm.* 33. *Gu-*

*state, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Ubi visus, aut cognitio oritur ex sapore, vel gustu. Unde donum sapientiæ residet in intellectu, habet verò in voluntate suam radicem, nempe caritatem. Huic dono correspondet septimâ beatitudo. *Beati pacifici*, quia sapientes sciunt rebus ponere debitum ordinem, in quo pax consistit, assimilanturque sapientiæ increatæ, & vocantur filii Dei. Ex fructibus Spiritus Sancti correspondent illi quinque: nempe caritas, gaudium, pax, bonitas, & benignitas.

82. Donum *intellectus* datur ad perfectam penetrationem omnium credibilium per fidem: qua ratione correspondet virtuti fidei. Nam ejus munus est, cuncta supernaturalia, & omnia, quæ ad fidem spectant, ipsamque testificationem intime, ex quadam conjunctione, & connaturalitate callere, & penetrare: Unde quidquid est perspicacitatis, & acuminis in perscrutandis rebus divinis supra id, quod naturaliter valet cognosci, ad donum intellectus pertinet. In patria autem, ubi perfectissimè remanet (sicut, & cætera dona quoad formale) deservit ad penetrandum sine ulla obscuritate revelationes, quæ sunt extra verbum. Huic dono correspondet sexta beatitudo, nimirum *munditia cordis*, cujus præmium est clara visio: Ex fructibus fides, seu peculiaris certitudo de rebus fidei ad bene operandum: nam fides, seu certitudo, quæ ponitur inter gratias, est ad instructionem aliorum.

83. Donum *consilii* datur ad consiliandum, & imperandum in rebus agendis supra omnem modum, & regulas rationis: nam cum mortalium cognitiones timidæ sint, & providentiæ incertæ, multoties oportet, quod homo a Deo, qui omnia comprehendit, specialiter dirigatur: hoc autem fit per donum consilii, ita denominatum, quia per vocabulum consilii aptius significatur motio Dei consiliantis, quam per nomen iudicii, aut præcepti. Istud donum correspondet prudentiæ, cujus est consiliare, judicare, & præcipere juxta regulas rationis. Respondet illi quinta beatitudo. *Beati misericordes*: quia consilium versatur circa utilia; in operibus autem misericordiæ maxime relucet utilitas.

84. Donum *fortitudinis* respondet virtuti fortitudinis: datur enim ad majorem fiduciam, & securitatem, qua omnia pericula, quantumvis gravia, parvipenduntur. Quis non sibi persuadeat hujus doni propriam fuisse animositatem illam, qua Seraphica Virgo, & Mater nostra Teresia impavida rapiebatur, tenerima adhuc ætate, ut in Africam trajiceret, ubi vitam, & sanguinem pro sponso Jesu Christo jucunde profunderet? Ipsius doni effectus est securitas, qua aliqui Martyres ad præsentiam tyranni ex Dei speciali instinctu se in ignem, & mare projiciebant, ut legitur de Sancta Appollonia, & aliis præclaris virginibus. Huic dono correspondet quarta beatitudo, *esuries, & sitis justitiæ*, & pulchre etiam octava, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Ex fructibus autem respondent illi *patientia, & longanimitas*, quibus suffertur libenter actualis passio malorum, & diuturna expectatio honorum, & sic pervenitur ad Regnum cælorum.

85. Donum *scientiæ* datur ad discernendum credibilia a non credibilibus, judicandum de illis, & de eorum credibilitate per causas creatas, secundum quod invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: & ideo hoc donum sicut *intellectus* correspondet fidei: quia utrumque illi potissimum deservit, & disponit ad ejus assensum omnino perfectum. Huic dono correspondet tertia beatitudo, *luctus, & tristitia malorum*, in quantum per scientiam dignoscitur quam lacrimabile sit ob temporalia Deum amittere.

86. Donum *pietatis* respondet virtuti religionis, datur enim ad offerendum Deo, ut patri munificentissimo reverentiam, & venerationem supra communem modum virtutis religionis, sequendo potius inflammationem Divini Spiritus, quam regulas prudentiæ. Extenditur enim post Deum ad honorandum, & reverendum omnes homines, in quantum sunt aliquid Dei, præcipue vero justos, & sanctos, taliter quod donum pietatis veneratur Deum, prout est magnus in se, religio vero ut principium, & benefactorem omnium. Huic dono respondet secunda beatitudo, *Beati mites*; & ex fru-

ctibus *mansuetudo*: quia mititas & mansuetudo valde disponunt ad prædictam reverentiam, & venerationem.

87. Donum denique *timoris Dei* respondet primario spei, & secundo temperantiæ: quia datur, tum ad moderandam voluntatem, ne transeat in presumptionem, dum conatur ad effectum spei; tum ut recedat a delectationibus ex superiori motivo, ac temperantiæ: hæc enim ab illis recedit propter bonum rationis, donum autem propter timorem Dei; tum maxime, quia in eo splendet veneratio, & reverentia divinæ celsitudinis, & majestatis: quo pacto fuit in Christo D. Et est in Beatis juxta illud *Psalmi* 118. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*. Huic dono respondet prima beatitudo, *paupertas spiritus*: & ex fructibus *modestia, continentia, & castitas*.

## PUNCTUM III.

## De fructibus Spiritus Sancti.

88. Inq. 1. Quid sint fructus Spiritus Sancti? R. sunt *actus perfecti procedentes ex speciali motione Spiritus S.*, quibus homo operatur suaviter, & delectabiliter. Dicuntur *fructus Spiritus Sancti*, quia sunt actus procedentes ab homine foecundato virtute Spiritus Sancti tamquam divino semine.

89. Dices: Actus virtutum habent pro fructu vitam æternam; erg. ipsi non sunt fructus sed potius flores? R. quod actus virtuosus sunt quidem flores in quantum ordinantur ad vitam æternam; sed sunt etiam fructus prout procedunt delectabiliter ex motione Spiritus Sancti. Unde dicitur. *Ecclesi.* 24. *Flores mei fructus honoris, & honestatis*, ut exponit D. Thom. 1. 2. q. 70. art. 1. ad 1.

90. Inq. 2. Quot sint fructus Spiritus Sancti? R. sunt duodecim. Constat ex Apost. ad *Galat.* cap. 5. ubi sic illos enumerat. *Caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Tria priora, nempe *caritas, gaudium, & pax*, perficiunt animam intra se ipsam in bonis; diligit enim Deum cum gaudio, & pæe absque passio-



sionum perturbatione. Hic est status felicissimus, quo pertingunt animæ a carnis appetitibus expurgatæ, non quia penitus careant passionum rebellionem, sed quia illas ita sedatas habent, ut raro animam a sua quasi beatitudine inchoata deturbent, cave a doctrina de Molinos damnata ab Innoc. XI. propos. 55. & 62. ubi asseritur pax omnimoda, & imperturbabilis animæ per viam internam, in hac enim vita non est appathia Stoica, nec pax perpetua. Sed semper oportet vigilare, & arma virtutum strenue exercere.

91. *Patientia*, & *longanimitas* perficiunt animam intra se ipsam ad superandas adversitates interiores, ac exteriores hujus vitæ, & dilationem bonorum gloriæ. *Bonitas*, & *benignitas*, *mansuetudo*, & *fides* perficiunt animam erga proximos, communicando eis sine fraude, aut ira, sed potius sincere, benigne, & fideliter bona tum spiritualia, tum temporalia. Denique *modestia*, *continentia*, & *castitas* perficiunt animam circa passiones, & concupiscentias, regulando eas, & actiones exteriores suaviter ex motione superiori. Hi sunt gloriosi fructus laborum, qui etiam in hac vita colliguntur a fervore in vinea Domini, hoc est in propriæ animæ cultura fervide laborantibus, quibus deinde a patrefamilias parata est merces æterna.

## PUNCTUM IV.

## De beatitudinibus.

92. Inq. 1. Quot sunt beatitudines? R. Octo numerantur Matthæi 5. Sunt autem quidam actus donorum, quibus ex motione speciali Spiritus Sancti ad vitam æternam accedimus. Quatuor pertinent ad remotionem, & exclusionem falsæ beatitudinis; nimirum, *paupertas spiritus*, quæ amorem inordinatum divitiarum excludit. *Mansuetudo*, quæ inordinatas passiones irascibiles moderatur. *Luclus*, aut *factus*, qui inordinatas passiones delectationes, & gaudia amovet. Et *patientia* in persecutionibus, quæ renuit favorem, & applausum humanum. Aliæ vero spectant ad dispositionem, & tendentiam ad veram beatitudinem, ad quam disponimur, &

tendimus per ardens illius desiderium, quod per famem, & sitim justitiæ significatur; per opera misericordie, quæ erga proximos exercetur; per cordis munditiam, quæ ad Dei visionem disponit, & denique per pacem cum proximo, quæ perfectissimum justitiæ, & caritatis opus est. D. Th. 1. 2. q. 69. a. 3.

93. Inq. 2. Cur cum dona sint tantum septem, eorum operationes, seu beatitudines numerantur octo? R. hoc ideo est, quia octava ad septem præcedentes attinet: & ponitur tanquam confirmatio, manifestatio, summa, aut collectio earum. Ita D. Th. 1. 2. q. 69. a. 3. ad 5.

94. Inq. 3. Cur S. Lucas quatuor tantum beatitudines posuit; octo vero S. Mattheus? R. 1. Quod in quatuor includuntur octo, & in octo explicantur amplius quatuor: unde easdem beatitudines posuit uterque Evangelista, licet Mattheus expressius illas designavit. Ita Sanctus Ambros. lib. 5. in Luc. cap. 6.

95. R. 2. Quod apud Mattheum loquebatur Dominus cum discipulis, quibus ut melius dispositis, & perfectionem sequentibus exposuit omnes beatitudines. Sed apud Lucam sermonem habebat ad turbas, quibus satis fuit proponere illas, quæ, ut diximus, pertinent ad remotionem falsæ beatitudinis. Ita D. Thom. ubi supra ad 6.

96. Inq. 4. In quo differant virtutes naturales, supernaturales, dona, fructus, & beatitudines? R. differunt pluribus. Præcipue vero in eo, quod virtutes naturales operantur media prudentia naturali, supernaturales vero media prudentia supernaturali, & fide divina. Dona addunt alium modum, quo speciali impulsu Spiritus Sancti homo exercet actus virtutum promptius, & perfectius. Fructus addunt insuper suavitatem, & delectationem in earum exercitio, & operatione. Tandem beatitudines addunt, atque efficiunt, quod dicti actus virtutum evadant valde heroici, & perfectissimi. Differunt etiam in eo, quod virtutes, & dona sunt habitus; fructus vero, & beatitudines sunt actus.

97. Inq. 5. An donum perseverantiæ finalis sit idem, ac donum confirmationis in gratia? R. neg. quia primum est commune omni prædestinato; non vero

secundum, nisi quibusdam excellentioribus sanctis, ut Apostolis in novo testamento, & aliquibus in veteri.

## MONITUM.

98. Explanatio virtutum debet nos allicere ad earum diligens exercitium. Si enim virtutis pulchritudo videretur, abriperet suaviter post se corda hominum;

omnia quippe bona veniunt pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius: nam flores ejus sunt fructus honoris, & honestatis in hac vita, ac sempiternæ felicitatis, & gloriæ in altera. Philosophi antiqui, licet hujus felicitatis ignari, adeo virtutem colebant, ut Aristoteles non dubitaverit dicere, & docere: *Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis.* 3. Ethic.

## TRACTATUS QUINTUS

## DE VITIIS, ET PECCATIS.

Cum opposita juxta se posita magis dignoscantur, postquam egimus de virtutibus, aggredimur tractatum de vitiis, & peccatis, quæ ipsis virtutibus opponuntur. Ang. Doctoris sequentes vestigia, qui de illis agit 1. 2. q. 71. & seq.

## CAPUT I.

## De nomine, &amp; natura vitiorum.

1. *Vitium* a verbo *vito* derivatur, eo quod vitandum, & respiciendum sit. Omne, quod deficit a recta regula, *vitium* dicitur. Sic in naturalibus claudicatio est vitium tibie, in artificialibus deficere a regulis artis est vitium artefacti, & in moralibus deviare a regulis rationis est vitium animæ, de quo loquimur in præsentii. Verum licet vitium ita sumptum sæpe confundatur cum peccato, & pro eodem vitium, & peccatum usurpentur, tamen plurimum distinguuntur: quia vitium est quid permanens, peccatum vero actio transiens. Vitium potest esse in anima, licet nihil agat; peccatum vero est actualis operatio. Imo potest quis esse in gratia, quin penitus destruat vitium, non vero quin destruat peccatum.

2. Inq. 1. Quid sit vitium? R. Est *malitia* qualitas mentis, quæ male vivitur, & nemo bene utitur. Vel est *dispositio mali ad pessimum*. Vel est *habitus acquisitus per actus malos inclinans ad similes actus*. Prima, & secunda definitio cons-

Tom. I.

tat ex opposito ad virtutem; tertia vero ex ipsis terminis. Hæc tria *vitium*, *malitia*, & *peccatum* opponuntur *virtuti*, *bonitati*, & *actui bono*, nam imprimis virtus est qualitas conveniens subiecto; vitium autem disconveniens: deinde sicut malum opponitur bono, ita malitia bonitati; & denique actus bonus est ordinatus, peccatum vero est actus inordinatus: erg. invicem opponuntur.

3. Inq. 2. Quomodo vitia virtutibus opponantur? R. opponi contrariè formaliter, & directe virtutibus acquisitis, & indirecte infusis. Probatur quoad primam partem, quia vitia, & virtutes acquisitæ sunt aliquid positivum, & ab eodem subiecto formali mutuo se expellunt, ut humilitas, & superbia: erg. contrarie, & directe opponuntur. Sed quia virtutes infusæ non contrariantur vitis sub eadem ratione formali, cum sint supernaturales, ideo solum indirecte contrariantur.

4. Objic. Contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant: hoc est inter extrema opposita; sed virtus non consistit in extremo, sed in medio: ergo virtus non est maxime distans a vitio: quia medium minus distat ab extremis, quam extrema inter se: ergo inter illa non datur oppositio contraria. R. quod licet virtus moralis ratione materiæ sit medium inter duo extrema; in ratione tamen formali virtutis est extremum maxime distans a vitio: quia hoc est disconveniens rationi, virtus vero conveniens: quæ munera extremam dist-

Gg

cunt